

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica laetare

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA LÆTARE.

Textus.

Historia Passionis.

EXORDIUM.

MAjores nostri hodiernam Dominicam elegati nomine insigniverunt ex *Etā. 54. v. 1. Lætare sterilis, quæ non parit.* Hoc de Ecclesia N. T. intelligendum est, quæ respectu Judaicæ Synagogæ sterilis habitavit, postea vero adeo crevit, ut multo plures liberos pepererit, quam olim in Ecclesia Judaica, quæ arctis terminis inclusa fuit, nati sunt. In V. T. enim dicebatur: Annunciat verbum suum Jacob: statuta sua & judicia Israël. Non fecit taliter omni nationi, *Psal. 147. v. ult.* In N. T. vero gratia Dei salutifera multo præclarior omnibus apparuit, *Tit. 2. v. 11.* Quicumque enim nomen Domini invocaverit, sive Judæus sive gentilis sit, nunc salvati potest, *Joël. 2. v. ult.*

Imprimis pii Vereres hoc ipso respexerunt hodiernum Evangelium, ubi quidem principiò in deserta abducimur, ubi omnium rerum penuria est: sed tandem hoc fulcitur solatio, quod Christus in deserto quoque Lætare suum suis apparere sinat, ita eos cibans, ut plus remaneat, quam initio adfuit.

Evangelium hodiernum exhibet

I. *Triplicem Querelam.* quæ respicit

1. *Victus carentiam.* Nisi Protoplasti no-

stri in peccata prolapsi fuissent, in Paradiso manere, ibique ex nobilissimis ejus fructibus, ad satietatem usque satiari potuissent, seducti vero à Diabolo, expulsi ex eo sunt, & cum liberis & posteris suis in solitudinem devenerunt, ubi jam querelam ingeminare cogimur: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, *Matth. 6. v. 31.* Hanc miseriam à Satana ortam credamus oportet. Agnoscamus igitur illud, cum Micha dicentes: Iram Domini portabo, *Mich. 7. v. 9.*

2. *Apostolorum dissidentiam.* Ubi enim ad Philippum ait: Unde ememus panes, ut manducent hi? continuo ille subducit rationem, inquit: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. q. d. Optime Magister, tantum pecuniæ non paratum est, ut panem pro tanta multitudine emere queamus, & licet paratum esset, unde panes in solitudine acciperem? Dimitte igitur turbam, cur tantum negotium tibi facestes, ut populum hunc cibare præsumas, viderint ipsi, ubi cibum accipiant. Sic & Andreas, postquam quinque panes hordeaceos, & pisciculos duos comparavit, ad Dominum ait: Hæc quid sunt, inter tantos?

y 2

Idem

Idem adhuc hodie familiare est, ut externis modo mediis intenti, & his paratis, tranquillo & læto animo simus. Ubi vero illa deficiunt, animis cadimus, non credentes, quod exiguo Deus nos cibare & sustentare possit. Hæc turpis diffidentia est, quam genuini Christiani cane & angue pejus fugere debent. Non enim manus Domini invalida est, Num. 11. v. 23. verum, ut plurimis exemplis probavit, non difficile est ei salutare, vel in multis, vel in paucis, 1. Sam. 14. v. 16.

3. *Populi imprudentiam*, qui Christum Regem facere vult. Opinabantur enim hoc modo se felices fore, si ejusmodi Regem haberent, qui sine labore & molestia se sustentare possit: sicut adhuc hodie multi reperiuntur, qui penes Evangelium nil nisi terrenas felicitates & abundantiam quarunt, quando vero persecutiones ingruunt, animis collabescunt & deficiunt, hi sunt inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, Phil. 3. v. 19.

II. *Triplicem Medelam*, quæ fluit

1. *Ex Christi commiseratione*. Sublevavit enim oculos, & vidit, multitudinem maximam venire ad se. Nec hoc modo, sed & continuo meditabatur, quomodo cibari illi possint. Idem adhuc hodie præstat: sicut enim pusillum & magnum ille fecit, ita æqualiter cura est illi de omnibus, Sap. 6. v. 9.

2. *Ex panum multiplicatione*. Accipiens enim panes quinque hordeaceos, ita eos benedictione sua multiplicabat, ut discipulis sub manibus crescerent. Ita adhuc hodie multiplicat panes, multiplicat vinum, dum quotannis terrâ educit, alias dudum fame per eundem nobis fuisset, Ps. 104, 14.

Perstat enim promissio ejus, quod cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescere debeant, Gen. 8. v. 22.

3. *Ex populi saturatione*. Omnes enim impleti sunt. Ex quo colligere est, quod non modo ad necessitatem, sed & ad sufficientiam comederint, hæc Dei benedictio fuit. Alias enim comedere, ne saturemur, possumus, Hag. 1. v. 6.

III. *Triplicem Cautelam*, quæ tribus Regulis includi potest:

1. *Christum sequere*. Hac in parte populus nobis exemplo suo præit, quem merito imitari convenit. Ipse enim via est, hunc qui sequetur, à patria cœlesti non aberrabit. Ipse est veritas, qui eum sequitur, non in devia veniet, Ipse vita, qui eum sequitur, nunquam morietur, Joh. 14. v. 16.

2. *Vocationi insiste*. Sicut enim ad discipulos ait: Facite homines discumbere: ita cuiuslibet certam stationem assignavit, in hac per sistat, & sicut unum quemque vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. mundus enim est cujus rectum est opus, Prov. 21. v. 8. Deus eum clementer respicere, & benedictione sua cumulare vult, ut nihil ei deficiat, Sir. 11. v. 12.

3. *Fragmenta collige*. Ut enim impleti sunt, dixit Dominus discipulis suis: Colligite, quæ superfuerunt fragmenta, ne pereant. Sic & nos dona Dei, quibus nos beavit, comparcere æquum est, ut & alio tempore necessitati nostræ, & pauperibus inservire possimus. Propterea mandat Apostolus parentibus, ut filiis thesaurizent, 2. Cor. 12. v. 14. 1. Tim. 5. v. 8.

Iterum hæc brevis hodierni Evangelii idea est, quomodo ad propositum nostrum

tra-

tractari potuiffet. Jam sine ulteriori præloquio ad meditationem Passionis Dominicæ nos conferemus, quæ tripartitò dividi potest: ut fit

- I. Confistorialis processus.
- II. Petri lapsus.
- III. Judæ interitus.

J. J.

Exegetis.

TRibus nos judiciis subjiciendi fuimus, partim in vita, & in præfente, partim pòst mortem, & in alterò mundo. In hoc mundo judicium Dei incipit à domo Dei, 1. Petr. 4. v. 17. 1. Cor. 11. v. 31. pòst obitum sequitur judicium novissimum, ubi omnes manifestari nos oportet ante tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10. Et hoc ipsum excipit judicium æternum, in stagno, ardente sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

Verùm Servator noster inde nos liberavit, dum triplici judicio pro nobis se sistere voluit.

1. *Coràm judicio paterno.* Id factum in horto Oliveti, ubi judicium audivit, quòd calicem crucis bibere, & pro lapso genere humano mortem sustinere deberet, unde ipsi sudor sanguineus expressus, ut guttæ quoque in terram deciderint.

2. *Coràm judicio Ecclesiastico:* ubi Princeps Sacerdotum, Scribæ, & totum Syneodium unanimiter ipsum condemnarunt, & mortis reum pronunciarunt.

3. *Coràm judicio Politico:* ubi Romano Præsidi Pontio Pilato traditus, pòst toleratam flagellationem, dolorosam ex spinis

coronationem, & multa opprobria, ad mortem ignominiosissimam crucis condemnatus fuit.

De primo judicio, quod coràm Patre suo cœlesti sustinuit, antè ostiduum egimus. Jam sequitur, quomodo ad judicium Ecclesiasticum abductus fuerit. Hinc Evangelistæ: Cohors autem, & tribuni, & ministri Judæorum, comprehenderunt Jesum & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm, deindè ad Caipham, Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant.

Hic sex membra sedulò observemus:

1. *Ligationem.* Judas illis signum dederat, quod si osculatus Dominum fuerit, non multùm cessarent, sed continuò manum injicerent, & tenerent eum, ne iterum elaberetur. Id non insuper habuerunt. Cohors enim, & tribuni, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum & ligaverunt eum. Hic perpendite Dilecti! quomodo Servatorem dilectissimum tractaverint! Erat enim magna cohors, sicut supremus tribunus in fonte *χιλαρχου* vocatur, quibus se adjunxerant *σπαθηοι τε ηγε*, sicut Lucas refert: illi igitur omnes procul dubio operam suam junxerunt, & ita Dominum constinxerunt, ut elabi ipsis minus potuerit. Nonnullos conjunctis viribus ipsi manus pòst terga revinxisse, alios laqueos collo ejus injecisse, alios catenis ipsum ligasse, nocte tenebrosa ipsum immisericorditer per lutum & lapides, ad Palatium Caiphæ traxisse, multisque verberibus affecisse, probabile est, sicut hæc de re conqueritur, Psal. 22. v. 13.

Vincula hæc Christi probè considerabimus, sunt enim

1. *Vincula dilectionis.* Facillimè equidem vincula hæc dirumpere potuisset, veluti Simson, cum eum Philisthiim novis funibus ligaverant. Jud. 16. v. 9. Verùm ingens eum in nos amor coëgit, ut ultrò ea sustinerit, ad nostram instructionem, ut & nos vincula, quæ propter Evangelium injiciuntur nobis, patienter sustineamus & sufferamus, considerantes, quod non velut fures, & homicidæ & malefici patiamur, sed ut Christiani, 1. Petr. 4. v. 15.

Hæc gloria nostra est, Eph. 3. v. 14. Et quemadmodum Josephus aliquamdiu catenis ferreis constrictus, tandem à Pharaone exaltatus est, catenâ aureâ de collo ejus suspensa, Gen. 41. v. 42. Ita & vincula & catenæ, quas Evangelii causâ hîc ferre cogimur, in gaudium & gloriam cœlestem commutabuntur, 2. Cor. 4. v. 17.

2. *Vincula consolationis.* Nos per lapsum Protoplastorum Diaboli mancipia evaleamus, ab ipsiusque laqueis captivi tenebamur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult. Quin & catenis noctis, tanquam ipse, constricti in tartarum detrudendi eramus, 2. Petr. 2. v. 4. sed ecce! Christus vicem nostram subiit, & ultrò se vincendum tradidit, quò à vinculis peccatorum, mortis & inferni redempti, animæ nostræ in fasciculo viventium custoditæ apud Dominum semper sint, 1. Sam. 25. v. 29. Quod grato animo recolentes, cum Davide dicamus: Aperuisti vincula mea, Psal. 116. v. 16. 17.

3. *Vincula exhortationis.* Quia Christus nos semel de vinculis & laqueis peccatorum & mortis & inferni redemit, ne malitiosè iisdem denuò implicemur, trahentes cum filiis sectæ hujus, iniquitatem in

funibus vanitatis, & quasi funibus plauti peccatum, Esa. 5. v. 18. sed firmâ fiduciâ Christo nos alligemus, quasi palmes viti, Johan. 15. v. 4. Dicentes cum Paulo: Certus sum, quod neque mors, neque vita, Rom. 8. v. 39. Vincula quoque dilectionis & pacis ne dissolvamus, sed velut spirituales fratres & sorores unanimiter cohabeamus, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam, usque in seculum, Psal. 133. v. ult.

II. *Præsentationem,*

1. *Coram Hannâ,* qui quidem jam extrâ officium constitutus erat, interim tamen adducunt eum ipsi, quo assentatiunculâ hæc gratiam ejus aucupentur, eique lætitiâ creent. Procul dubio pleni exultationis cum Palæstinis dixerunt: Tradidit Deus inimicum nostrum in manus nostras, Jud. 16. v. 23.

Adhuc hodie impios lætari conspiciamus, quando piis adversa oboriuntur, ut dicant: Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. 35. v. 21. Id fideles sæpè perturbat, ut animis cadant, dicentes cum Assaph: Ergò sine causâ mundavi cor meum, præprimis quando vident, impios florere & felices esse, Psal. 73. v. 13. Verùm quando Christum inspicimus, idem ipsi accidisse deprehendimus, idè in patientiâ custodientes animam nostram, communicantes passionibus ejus gaudeamus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. v. 13.

2. *Coram Caipha,* qui aliàs genuino nomine Joseph appellatus, quia verò cognomen Caiphas sive Cajaphas vulgo notius fuit, Evangelistæ omisso prænomine, cognominis modò mentionem facere volue-

luerunt, quod interpretativè est vestigator: sic nomen gessit cum omine, Christo enim velut cervæ maturinæ tamdiu insidiatus est, dum eam ceperit & occiderit, Ps. 22. 1.

Describitur autem Caiphas

1. *Ratione conjugii*, habebat enim in matrimonio filiam senioris Pontificis Hannæ, idèò Hanna socer ejus vocatur.

Hæc catena per connubia ita conglutinata erat, proptereà nemo alteri adversari volebat: interim innocens Servator pati cogitur, sicuti adhuc hic atque ille in causa optimâ jus suum obtinere nequit. Quâ de causâ? Contraria pars haber affinem, fratrem, sive familiarem in Senatu, hunc judex irritare non vult. Interim patitur justus. Sed quilibet caveat sibi, ne hoc modo delinquat. Qui patrem aut matrem, filium aut filiam plus amat, quàm me, non dignus me est, Matth. 10. v. 39.

2. *Ratione Vaticinii*. Erat hic Caiphas idem ille, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. De hoc vaticinio legitur Joh. 11. v. 47. & seqq. Non tamen hoc eum vatem efficit, sicut nec de asinâ Bileam dici potest, hominem fuisse, quia locuta est, Num. 22. v. 28. Intereà tamen videmus, quomodo Deus impiorum consilia in bonum finem dirigat. Caiphas consilium Dei minus intelligebat, sed autumabat, si Jesus Nazarenus extinctus foret, pacem publicam eò firmiorem fore, nec à Romanis periculum ullum pertimescendum. Sed Deus longius prospiciebat. Jesus enim atique moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erât dispersi, congregaret in unum, Joh. 11. v. 51.

3. *Ratione præsidij*. Erat enim Princeps

Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores con- venerant. Ex Dei instituto unus tantum summus Pontifex esse debebat, & illo moriente, alius è stirpe Aaronis deligendus erat, Exod. 40. v. 1. 5. Num. 35. v. 25. Verùm ut tùm temporis plurimus auro venit honos, sic alter alteri per hoc medium pal- mam præcipere potuit, uti videmus 2. Macc. 4. 8. 24. & hoc modo Caiphas quo- que ad Sacerdotiũ pervenit, ut Josephus testatur.

Idea est Ecclesiæ Pontificiæ, ubi omnia pecuniæ obediunt, hinc Mantuanus:

Venalia nobis

Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, co- ronæ, (Deusq;

Ignes, thura, preces, Templum venale, Unde Brigitta rectè dixit, Papam omnia præcepta in unum contraxisse, nimirum, da pecuniam. Sicut sanguisugæ duæ sunt filia dicentes: Affert, affert, Prov. 30. v. 15.

III. *Examinationem*, in quâ occurrit

1. *Pontificis questio*, quæ gemina est, quæ- rit enim Servatorem

1. *De Apostolorum grege*: quare illos sibi adsciverit, & quare illi discesserint, cur nul- lus eorum defensionem ejus suscipiat, Hoc ipso eum seditionis reum agere vult, sicut paulò ante Judas Galilæus & Theudas in crimine hoc deprehensû erât, Act. 5. 36. 37.

2. *De novâ lege*, quid hæctenus & ex cujus jussu prædicaverit, sicut ex professo ad eum mittunt, quæ sit: In quâ potestate id facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem? Matth. 21. v. 23.

Videmus hæc facillè causam inveniri posse, si alicui malè cupiamus. Ut canem ferias, facillè baculum invenies. Summi Pontifices, Christum velut maleficium cepe-

ceperunt & ligarunt, jam quærunt demum quid fecerit, ideoque conquirunt, quod possunt, quo causam suam malam colorare possint. Ubi ita fieri amat, vis justitiæ prævalet, leges languent, & egreditur judicium perversum, Hab. 1. v. 4.

2. *Christi responsio.* Primam quæstionem, discipulos suos concetnente, Christus silentio præterit, eoq; nos docet, si de proximo non multum bonificamus, ut eum quoque convitiis non proscindamus, sed omnia in meliorem partem interpretemur. Qui convitiatur proximo suo, stultus est: vir autem prudens tacebit, Prov. 11. v. 12.

Ad alteram verò quæstionem directè respondet, inquit: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: Ecce, hi sciunt, quæ dixerim ego.

Nos quoque vitæ integritati studeamus, ut non modò tranquilla conscientia gaudeamus, sed & hostibus veritatis os obstruere possimus, quo vereantur, nihil habentes malum dicere de nobis, Tit. 2. v. 8.

O quanti æstimanda est rectè factorum conscientia! Quantus decor, si quis hostibus veritatis in os dicere potest: Quis vestrùm arguet me de peccato? Joh. 8. v. 46.

--- Hic murus aeneus esto,

Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, 2. Cor. 1. v. 12.

2. *Secuta percussio.* Postquam enim Servator ita apologeticè respondit, unus adstans ministrorum, dedit alapam Jesu,

dicens: Sic respondes Pontifici? Sed Christus moderatè perferens ait: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis? Exhorrescat cælum, & contremiscat terra de Christi patientiâ & servi impudentiâ. Vix auditum puto, captum & vincum verberari coràm ipso judicio, ubi justitia vel maximè observari debet, imò coràm Consistorio Ecclesiastico, ubi claves scientiæ haberi, & æquum ab iniquo secerni conveniebat. Verùm hoc ipso Prophetia Michæ impleta est: Baculo percutient super maxillam judicis in Israel, Mich. 5. v. 1.

Nos peccatis nostris commiseramus, ut infernales Diaboli satellites, colaphis ignitis faciem nostram cæderent: sed Christus ab iis nos liberavit per colaphos, quos in passione sua sustinuit. Ideò grato animo id recolentes, vicissim injuriam ob nomen ejus pati ne recusemus. Per tribulationes enim nos in Regnum Dei intrate oportet, Act. 14. v. 22.

IV. *Accusationem*, quam Evangelista trifariam describit,

1. *Ratione Autoris.* Nempè Principes Sacerdotum, & Seniores & omne Concilium autores accusationis sunt. Quia verò probè norunt, neminem in propria causa accusantis & judicis partes obtinere posse, ideò falsos testes in medium adducunt, qui mendaciis Christum impudentissimè onerant, sicut Diabolo semper in more fuit, ut si veri nihil imputare potuit, mendaciis & falsis testimoniis rem egerit, ideò Spiritus mendax appellatur, 1. Reg. 22. v. 22.

Fuge hoc vitium Diabolicum, mi Christiane! Labium enim veritatis firmum erit

erit in perpetuum, sed ad momentum lingua vana, Prov. 12. v. 29.

2. *Ratione tenoris*, Christum enim dixisse asserunt: Ego dissolvam templum hoc manu factum: & post triduum aliud, non manu factum ædificabo. Hoc mendacium impudentissimum erat, Dominus enim non dixerat: Dissolvam templum hoc, neque templum externum Judaicum intellexerat: sed templum corporis sui, uti Johannes explicat, Joh. 2. v. 21. hoc ait, Judæi dissolvent, i. e. occident, & ego erigam tertio die, sicut quoque factum est. Mortuus enim est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & resurrexit tertiâ die, juxta Scripturas, 1. Cor. 15. v. 3. Id adhuc hodiè hæreticis familiare est, ut Scripturam allegent more Diabolico, Matth. 4. v. 6. vel ad minimum verba in alienum sensum detorqueant, quo simplicioribus imponant, eosque à veritate abducant, ut Galatis factum, Gal. 3. v. 1.

Nos literæ inhærescamus, & non decipiemur.

- - - Multos speciosa fefellit
Glossa, Dei verbo nitere, tutus eris.

Si enim manseritis in sermone meo, veri mei Discipuli estis, Joh. 8. v. 32.

3. *Ratione valoris*, qui judicandus

1. *Ex ipso mendacio*, Convenientia enim testimonia non erant. In Proverbio dicitur: Mendacem oportet esse memorem. Hoc falsi hi testes minus observarunt, ideò quoque testimonia non convenerunt, sed quilibet manu palpare quali poterat, pura putata mendacia esse. Hoc successu mendacia instituuntur. Sir. 20. v. 27.

2. *Ex sensu proprio*. Non enim Servator ita dixerat, ut falsi hi testes accusabant, sed

his verbis usus fuerat ad Judæos: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis sui, Joh. 2. v. 22.

Quando igitur à falsis testibus mendaciis gravaris, cogites velim, & Christo simile quid accidisse, & dic cum Davide: Obmutescam & non aperiâ os meum, quia tu facies, Psal. 39. v. 10. Solatium vero cape ex rectè factorum conscientia. Hüte dich vor der That / der Lügen wird wol rath. Beati estis, cum vobis maledixerint homines mentientes, Matt. 5. v. 12.

3. *Ex Christi silentio*. Surgens enim Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Manifestum mendacium erat, ideoque id Christus nullâ responsione dignum judicat. Benè enim tacet, qui defensione non eget, ut Augustinus ait,

Nos coram judicio Dei obmutescere debuissimus, sicut conviva ille, qui veste nuptiali destituebatur, Matth. 22. v. 13. Per legis enim accusationem omne os obstruitur, & reus fit omnis mundus Deo, Rom. 3. v. 19. Job. 9. v. 3.

Ne verò hoc nobis accideret, Christus hic tanquam surdus non audit, & sicut mutus non aperiens os suum, Pl. 38. v. 15. Sed & simul exemplum nobis præbuit, ut simus veloces ad audiendum, tardi verò ad loquendum, Jac. 1. v. 19. Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum, Prov. 16. v. 26.

V. *Condemnationem*, ad quam pertinet

1. *Pontificis adjuratio*: ubi notanda

1. *Formula*. Adjuro, inquit, te, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Lyra testis est, Hebræos specularem adjurandi modum habuisse, sicut

in summo Pontifice Eli, 1. Sam. 3. v. 17. & Paulo, 1. Theff. 5. v. 27. apparet, q. d. ille: Præcipio tibi in nomine Dei sanctissimo, & quam grata tibi gratia Dei est, ut veritatem mihi dicas, an Filius Dei sis, vel non. Verba hæcce religiosa videbantur, verum hypocrita fuit, qui sub verbis hæcce blandioribus gladium abscondit, Pl. 55, 22.

Tales hypocritæ adhuc hodie occurrunt, qui gloriam Dei præterdunt, sed sub hoc prætextu falsam doctrinam, & suam gloriam conservatum eunt. Ideo à fructibus eorum cognoscamus eos, quamvis enim in vestimentis ovium veniant, tamè intrinsecus lupi rapaces sunt, Mat. 7, 15.

2. *Replica.* Ante contiguerat, quia illud quod falsi testes in medium attulerant, veritati repugnabat. Jam vero ubi summus Pontifex eum adjurat, ut confessionem suam edat, quis sit, illico paratus respondet dicens: Tu dixisti. Verum tamen dico vobis: A modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, q. d. Idem ille sum, quem inquiris, & quamvis jam in misera servi forma tibi ante oculos verfer, attamen aliquando tempus veniet, ubi conspicietis me ad dextram virtutis Dei, venientem in nubibus cæli, judicem vivorum & mortuorum, ibi adspicietis ad me, in quem confixistis, Zach. 12. v. 10. Joh. 19. v. 37.

Discimus hinc, quod & nos tempore necessitatis parati debeamus esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea, quæ in nobis est spe, & fide, 1. Petr. 3. v. 15. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 8. v. 10.

2. *Unanimis conclamatio.* Ubi describitur

1. *Pontificia sententia.* Is enim vestimenta sua scidit, dicens: Blasphemavit. Quid

adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? In V. T. Judæis usitatum fuit, ut vestimenta scinderent, quando aut magno luctui immergerentur, aut nefandam blasphemiam auribus sentirent: prioris exemplum habemus in Iacobo, Gen. 37, 34. posterioris in Hiskia, Esa. 37, 1. Verum summo Pontifici prohibitum erat, ne vestimenta scinderet, Levit. 10, 6. & 21, 10. sed Caiphas præ nimia effervescencia hujus in memor vestem suam lacerat, eoq; indicaturus est, quantæ sibi abominationi hæc blasphemia sit.

Idea hac in parte est Romani Pontificis, qui omnia facta & sædera sanctiora rumpere minus veretur, & si pedibus in suam sententiam ire, & decreta ejus approbare nolim, pleno ore, blasphemiam, blasphemial ingeminat. Sed ad ravim usque clamare pergant, nos ex adverso oramus eum Davide: Adjuva me Domine Deus, Pl. 109, 26. 27.

2. *Cæterorum complacentia.* Omnes enim illum condemnarunt, dicentes: Reus est mortis. Hæc sententia decisiva est, quæ in Consistorio Ecclesiastico super Dominum lata est. Et si enim de Nicodemo & Josepho ab Arimathia Lucas refert, quod non consenserint consilio & Actibus eorum, Luc. 23, 51. quorum sine dubio plures Synedrio interfuerunt, at tamen totum Concilium id ita decrevisse pronunciat. Idem adhuc hodie evenire amat in aulis Principum & civitatibus, ut aliqui violenter agant; si bene sit, sibi adscribunt; sin male, totum senatum id fecisse, dicunt. Verum hic quodlibet Senatus membrum conscientia suæ rationem habeat, necesse est, & rebus iniquis mascule se opponat, sicut Paphnutius in Concilio Niceno cælibatum decernentibus se opposuit, solus evincens: Ca-

Castimoniam esse viri cum legitimâ uxore cubitum. Ita si vir conscientiosus adest, qui rebus injustis non consentit, cæteri omnes nihil decernere possunt, talis servat bonam conscientiam & existimationem, quæ magis permanebit, quàm mille thesauri pretiosi & magni, Sir. 43. v. 15.

3. *Nocturna tribulatio.* Postquam enim Consistoriales illi sententiam judicalem super Dominum tulerant, aliquantisper quieti se tradunt: intereâ tamen, ne quid passioni Domini decedat, ministris injungebant, ut vigiles Dominum custodirent, qui ne somno obruantur, omnem petulantiam & nequitiam in Dominum exercuerunt, & variis modis vexarunt. Id describunt Evangelistæ

1. *Speciatim, & quidem*

1. *Ratione factorum,* quod Christum afflixerint

1. *Faciem conspuendo.* Hoc signum extremæ ignominie & opprobrii fuit. Vide Deut. 25. v. 9. ita nefarii hi homines, ex merâ malitiâ & contemptu in faciem Christi expuerunt, in quam Angeli desiderant prospicere, 1. Petr. 1. v. 12. ut impleretur vaticinium Esaiæ, ubi Messias dicit: faciem meam non abscondi à contumeliis, c. 50. v. 6.

2. *Colaphos impingendo.* Nos ab Angelo Satanae in inferno colaphizati debuimus, 2. Cor. 12. v. 7. At ecce! Servator vicem nostram subiit, & colaphos sustinuit, ut nos ab iisdem liberaret.

Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,

His alapis nobis libertas maxima plauisit. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, Esa. 53. v. 5.

3. *Oculos contegendo.* Idem adhuc hodie

faciunt illi, qui in tenebris peccant, putantes consilium suum à Domino abscondere, Esa. 29. v. 15. idè securè in diem vivunt, dicentes: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7. Non verò meminerunt, oculos Domini multò plus lucidiores esse Sole, Sir. 23. v. 29.

2. *Ratione verborum.* Faciem enim Christi contegendo, certatim palmas in eam dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?

Hoc verò vehementer mordet & perturbat animum honestum. Verba susurrantis sunt quasi vulnera, Prøv. 18. v. 8. imprimis, quando omnis generis sarcasmi & illusiones miscentur, hoc ipso afflictis afflictio augetur, sicut legimus de Saule & Samfone, quod mori, quàm ejusmodi sarcasmos audire maluerint, 1. Sam. 31. v. 4. Jud. 16. v. 25. seqq.

2. *Summatim.* Evangelistæ enim omnia referre horrent, idè abrumpunt, præsertim Lucas, dicens: Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.

Hinc conjiciendum, quod adeò sædè & impudenter cum Servatore egerint, ut S. Lucas calamum commodare turpitudini huic vereatur. Die verò novissimo omnia in apicum producentur, quæ jam delitescunt, 1. Cor. 4. v. 5.

Nos solatium hinc hauriamus, quando tot delicta nostra sunt, ut intelligere & numerare ea non valeamus, Psal. 19. v. 13. Servator Jesus innumerabiles etiam dolores sustinuit, iisque solvit, quod nos peccaramus, ut jam nulla condemnatio sit in iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

VI. *Matutinam recapitulationem,* circa quam observemus

1. *Consultationis tempus*, nempè mane factò consilium inierunt.

Hic perspicimus, quàm indefessi hostes Christi sint ad scelera sua peragenda.

Primæ illi sessioni in Palatio summi Pontificis satis diu interfuerant, & serò discesserant, ut somno sepultos illos esse credidisses: Verum somnus non adedò dulcis est ipsis, quin die illucescente denuò conveniant, nullam molestiam inde sentientes.

Hic adhuc hodie mundanorum mos est. Ah quàm indefessi, quàm alacres illi sunt ad malum perficiendum? quàm astuté sceleribus suis invigilant, ut etiam nocte, super cubilia sua mala tractare non cessent, Mich. 2. v. 1. Oculi eorum in pauperem speculantur, Psal. 10. v. 8. Aures eorum circumcisæ sunt, ut verbum Dei non audire possint, Jer. 6. v. 10. Osmaledictione plenum est, & fraude & dolo, sub linguâ eorum labor & dolor, Psal. 10. v. 7. Manus plenæ sanguine, Esa. 1. v. 15. Pedes veloces ad currendum in malum, Prov. 6. v. 18. Summa: Corpus & anima, & omnes internæ & externæ facultates ad malum proclives sunt, & malum agendo fatigant se, Jer. 9. v. 5.

Quam promptus fuit Absolom ad persequendum Patrem suum? 2. Sam. 16. v. 13. quàm negotiosus fuit Achitophel in supeditando ad id consilio? 2. Sam. 17. v. 21. Quam callidus David, cum Bathsabeæ stuprum intulisset, ut Uriam nato suspenderet adunco? 2. Sam. 11. v. 6. Quàm solitè duo senes iudices observabant Susannam, ut libidinem suam in eâ explerent? Susann. v. 12. seqq. Ecce, ita filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione suâ, Luc. 16. v. 8.

2. *Senatorum chorus*. Quinam consilium inierint adversus Christum, nimirum omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi. Non abs re esse videtur, quando tot eruditione, autoritate & senio præstantes conveniunt. Verùm & illi errori obnoxii sunt, juxtà illud Davidis: Profectò filii viri sunt mendacium, Psal. 62. v. 10.

3. *Intentionis scopus*. Convenerunt enim adversus Jesum, ut eum morti traderent. Ipsi enim non licuit interficere quenquam, Joh. 18. v. 32. Quò verò scopum suum obtinerèt, consilium inierunt, quem prætextum Pilato exponere velint, quò eum in partes suas pertrahant.

Hæc falsæ Ecclesiæ proprietas est, ut semper sanguinem sitiat. Cain initium fecit, quem omnes tyranni secuti sunt, in hodiernum usque diem. Verba enim impiorum insidiantur sanguini, Prov. 12. v. 6.

4. *Procedendi modus*, in quo advertenda

1. *Duplex questio*: duxerunt enim illum in concilium suum, & quæ siverunt ex illo: 1. *Si tu es Christus, dic nobis?* Id nequiquam discendi gratiâ fecerunt, tantum enim ab eo viderant & audierant, ut non ignorarent, quis esset, nempè Magister, qui à Deo venerat, quia viam Domini in veritate docebat, nemo enim poterat signa talia facere, nisi fuerit Deus cum eo, teste Nicodemo, Joh. 3. v. 2. sed quia honorem Messis ipsi invidabant, quæstione hæc ipsi retia tendebant, hæc intentione, ut si Messiam se profiteretur, apud Romanos ipsum accusarent, siquidem Messiam se à Romanorum jugo liberaturum esse, opinabantur.

2. *Quæ-*

2. Quærent ? *Tues Filius Dei ?* De hac quaestione jam ante Servator cum Judæis acriter disputaverat. Dicente enim Domino : Ego & Pater unum sumus : sustulerunt illi lapides, ut lapidarent eum, Joh. 10. v. 30. seqq.

2. *Duplex Christi responsio.* Ad primam quaestionem, ubi interrogaverant, *Tues Christus ?* respondet Dominus : Si vobis dixerò, non creditis mihi : si autem interrogavero, quid Scriptura de Messia referat, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Scio enim constitutum apud vos esse, ut me interficiatis, ideo optimum fere esset, si plane tacerem. Quia vero meus & Patris mei honos requirit, palam confiteor, me Christum sive Messiam esse, quod & illico miraculo probare possem : Verum jam Passionis tempus adest, & à modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. q. d. Dominus : Brevi alia rerum facies erit, quando tertia die resurrexero à mortuis & ad dextram Dei Patris post ascensum in cælos sedero, ibi videbitis, in quem transfixeritis, Joh. 19. v. 37.

Solacium hinc haurite, Dilecti ! non semper præsens rerum status durabit, ubi impij dominabuntur. Minime, Jesus noster aliquando judicio suo irrumpet, & pluet super peccatores laqueos, ignem & sulphur & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. At nos fideles suos, à dextris suis sistet, & cum gaudio introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. 35.

Ad alteram vero quaestionem magis adhuc dilucide responderet, inquit : Vos dicitis, quia ego sum, quo ipso ad scrutinium propriæ conscientiæ ipsos revocat : q. d.

quid opus est, ut multum quaeratis : Conscientia vestra convincit vos, me illum ipsum esse de quo quaeritis, videlicet diu desideratum Messiam.

Hoc iterum in consolationem nostram vergit. Ratione peccati famosa nomina gerimus, & vocamur, filii iræ, Eph. 2. v. 3. filii Belial, Deut. 32. v. 17. filii gehennæ, Matth. 23. v. 15. Verum quia æternus Dei Filius carnem & sanguinem nostrum assumpsit, hoc ipso nobis adoptionem acquisivit, ut Filii Dei nominemur, 1. Joh. 3. v. 1.

Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Rom. 8. v. 17.

5. *Consequens eventus.* Ubi enim rem altius paulò perpendere, & de infensissima in Christum ira cessare debebant, magis exasperabantur, unanimiter dicentes : Quid adhuc desideramus testimonium ! Ipsi enim audivimus de ore ejus. Hoc ipso confirmantes, decretum de Christo interficiendo executioni dandum.

O Dilecti ! multi adversus nos testes insurgunt, qui nos convincunt, quod peccaverimus, peccatisque nostris mortem æternam promeriti sumus. Diabolus nos accusat, Apoc. 12. v. 10. Conscientia nos damnat, 1. Joh. 3. v. 20. ut simus *αυτοκατάκριτοι*, Tit. 3. v. 11. Verum Christus Passione sua impromerita, testibus his os obturavit, ut nemo nos accusare possit : Rom. 8. v. 33. De hoc enim Jesu testimonium perhibent omnes Prophetæ, Act. 10. v. 43. ideo multò æquius dicere possumus : Quid desideramus plura testimonia ? Si enim testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, 1. Joh. 5. v. 9. 10. 11.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, Petri
lapsus intuituri.

Ubi notari debet

1. *Triplex actus*, nam

1. *Negat*. Ubi enim una ex ancillis summi Sacerdotis, ipsum alloquitur, dicens: Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Petrus alienum se simulat, respondens: Non sum, erras mulier, neque scio, neque novi, quid dicas. Hoc grave delictum, quod tanto Apostolo indignum erat. Qui enim confessus me fuerit coram hominibus, Matth. 10. v. 33.

2. *Abjurat*. Petrus post primam abnegationem surgebat, & exibat in vestibulum, ancipiti animo, utrum tacite abiret, an diutius expectaret? Interea gallus cantat, verum ille non magnopere attendit, sed ab alia ancilla interpellatus, quæ digitis ipsum monstrans circumstantibus ait: Quia hic ex illis est: ubi alius post alium eum interrogat: Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Negat ille jurato, se non novisse hominem. Ita peccatum peccato auget. Ante simpliciter negaverat, jam cum juramento negat, quod geminum peccatum fuit, gemina pœna dignum. Non enim Domini habebit infontem, qui nomen Domini assumerit in vanum, Exod. 20. v. 7.

3. *Perseverat*. Christus gallicinio ipsum monet, verum ipse aures suas obturat, & ubi post breve intervallum, præter propter post horam à ministris denuo compellatur, dicente ex iisdem quodam: Vere & tu ex illis es: Nam Galilæus es, quid multis inficiaberis, loquela tua te manifestum facit:

alio vero arctius adhuc ipsum constringente his verbis: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Tu idem ille es, qui servo Pontificis auriculam præcidisti, ecce jam cicatricem illam satis care lues: Tum pertimescens Petrus, magnum sibi periculum imminere videt, ideo quomodo se extricet, omnem mover lapidem: & sicut salutem in negatione quaesierat, ita jam non simpliciter negat, sed cū execratione huic vel illi se auferendum tradens, jurando se Iesum Nazarenum nosse, pernegat, & si aliter esset, nolle se Regnum Dei intrare contestatur.

Ita evenire solet, si semel Diabolo morem geras, & ad libitum ejus pecces, ut paulatim peccato aduetus, ex uno in alterum incidas, donec ascendat furor Domini, ut nulla sit curatio, 2. Paral. 36. v. 16. ideo Principiis hinc obstandum est, vel si forte Diaboli insidiis circumveniaris, illico revertaris & respicias oportet. Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, Ezech. 18. v. 21. Duo autem genera abundant in peccatis & tertium adducit iram & perditionem, Sir. 23. v. 21.

2. *Christi nutus*. Ubi enim Petrus Christum abnegat, & abjurat, Servator lapsus Petrum admonet

1. *Gallicinio adhortatorio*. Ubi enim res ad summum pervenerat, quod Petrus non modo negaverat, sed & juraverat, nec modo juraverat, sed & execratus fuerat, si hominem illum nosset: Ecce! Servator altera vice gallicinio ipsum admonet, in memoriam ipsi revocaturus verba, quibus ipsum pridem præmonuerat: Antequam gallus bis canter, ter me abnegabis.

Idem adhuc hodie facit. Verbi Præcones spirituales Ecclesiæ galli sunt. Veluti enim

enim gallus, tanquam sedulus vigil nocturnus, gallicinio suo multos homines excitat: Ita & Ecclesie ministros vocem suam instar tubæ exaltare, & mundum peccatis immersum è somno peccatorum excitare oportet. Surge, qui dormis & exurge è mortuis, & illuminabit te Christus, Eph. 5. v. 14.

Gallus eò frequentius cantare solet, quando tempestas mutatur, & pluvia imminet: Ita quando Deus tempestate terribili ingruere vult, verbi Præcones majori zelo elament oportet: Pœnitentiam agite, jam securis ad radicem posita est, Matth. 3. v. 12. id non plane frustraneum erit. Et si enim multi sunt, qui id parum curent, attamen semper inveniuntur, qui excitari se patiuntur, juxta illud: Sicut imber & nix descendit de cælo, Esa. 55. v. 10.

2. *Aspectu consolatorio.* Et conversus Dominus, respexit Petrum.

Hic efficax gratiæ intuitus fuit, quem Petrus in corde sensit, quòque ad meliores cogitationes perductus fuit. Christus eum alloqui nolebat, ne suspicionem hostium confirmaret, ideo aspectu ipsum monere vult, q. d. Petre, Petre, tu plane in via erroris es, an nescis, quid antea tecum locutus fuerim. O quam graviter, deliquisti, egredere actutum Palatio Pontificis, & age pœnitentiam, ego tibi injuriam mihi illatam libenter condonabo.

Recordemini, Dilecti! hunc gratiæ intuitum, & quando & ipsi forte ex infirmitate humana, in delicto aliquo præoccupati fueritis, respicite in tempore, nos benignissimum in cælis Patrem habemus, qui bonæ spei jussit esse filios suos, relinquens locum pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19.

Quis igitur desperaret? Potius omnes sibi dictum putent: Ubi exsuperat delictum, ibi exsuperat gratia, Rom. 5. v. ult.

3. *Emergens fructus.* Nam Petrus gallicinio & adspectu Christi admonitus,

1. *Nutum Christi observat.* Idem discamus ab ipso. O quot inveniuntur eorum qui corda instar adamantis obdurant, nihilque maledictionem legis, è suggestu ipsis intamam curant, sed malitiose pergunt, dicentes: quis prohibebit?

Ideoque parum spei ad pœnitentiam in illis superest.

Ah dubito, ne gratia
Qua sic abusus est data,
Hunc persequatur tandem!

Quia vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 25.

2. *Aulam declinat,* & pravorum consortium deserit, per quod lapsus fuerat. Ita & nos locum & occasionem, qua ad peccatum seduci possimus fugiamus. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. vers. 12.

3. *Amarè plorat.* Id non modo tum incepit, sed & per omnem vitam continuavit, ut Cl. Alexandrinus scribat: quoties gallum cantare audiverit, toties oculos ejus lachrymis stillasse, adeo ut lachrymæ genas ejus, instar crudæ carnis perederint. Beatos illos, qui ejusmodi dolorem in corde suo sentiunt. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matth. 5. v. 4.

De Tertio.

Restat tertium, quod est *Judæ interitus.* Ubi notetur

1. *Querela.* Descripta hæc est ab Evangelistis

1. *Ratione causa impellens*, quæ fuit condemnatio Christi ad mortem. Judas multò aliter sibi rem imaginatus erat, non dubitans, quin Christus pro omnipotentia sua vincula eorum dirupturus, seque iisdem subducturus esset, ut sapiens fecerat. Ut vero rem multò aliter cadere perspiciebat, ecce peccatum, quod hæctenus secure quasi quieverat, evigilat, & in tantas angustias eum conjicit, ut nesciret, quo se vertere debeat.

Est in hac re imago omnium Epicureorum, qui secure in diem vivunt, dicentes: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Sir. 5. v. 4. deinde idem illis accidit, quod Judæ proditori, ut corpore & animo Diabolo mancipentur. Hinc graviter monet Siracides: Fili peccasti? non adjicias iterum, c. 21. v. 1. seqq.

2. *Ratione modi competentis*: pœnitentia enim ducebatur. Hæc primus gradus pœnitentiæ est, nam, ut Poëta canit:

- - Si pœnitet, haud nocet error.

Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem operatur, 2. Cor. 7. 10. Hoc contestatus est

1. *Ore*. Dixit enim: Peccavi, tradens sanguinem justum. Ita peccata nostra minus abscondamus, ut Protoplasti, foliis ficus turpitudinem obtegere satagentes, Gen. 3. 7. sed confitentes ea manifestemus, si peccatorum remissionem consequi velimus. Si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi seducimus nos, 1. Joh. 1. v. 8.

2. *Opere*. Projiciebat enim argenteos in templum. Idem & nobis faciendum: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quod si id non fit, Deus ipse divitias, quas

devoravit impius, de ventre illius extrahet, Job. 20. v. 15.

II. *Medela*. Ubi enim venit ad Principes Sacerdotum & Seniores iisdemque confessus est, peccasse se, quod tradiderit sanguinem innocentem, petens ab illis, ut sibi salutare consilium & efficax solatium suppeditarent: ipsi naso ipsum ad unco suspendentes ajunt: Quid ad nos? Tu videris. Si iniquè egisti, tuæ illud conscientie inferimus, tu ipse in culpa es, qui operam tuam nobis obtulisti: videris igitur, quomodo illud quod intrivisti, exedas.

Hæc misera consolatio fuit, qua animi angorem magis auxerunt, ejusque desperationi anam suppeditarunt.

Videmus igitur, quantum beneficium sit, si Deus, regioni vel civitati, fideles Pastores concedat, qui sauciarum conscientiarum sedulam rationem agunt, easque Evangelico solatio erigunt, ne desperent, sed vera in Christum fiducia se sustentent, qui in mundum venit peccatores ad pœnitentiam vocare, Luc. 5. v. 32.

Videmus quoque, quantum hominum amoris & Principum favori tribuendum sit. Principes Sacerdotum & Scribæ Judæ principio miris modis subblandiebantur, cum illis operam proditoriam offerret; idèò magnam ei spem ostenderant, quia hac in parte ipsis morem gesserat, fore, ut eum vicissim officiis suis adjuvarent, & ad amplissimas dignitates evcherent. Verum jam indignum putant, quem verbo consolatorio reficiant. Idem adhuc hodie evenit illis, qui vana arundine & brachio carnali confidunt. Quid enim homo? Gramen, Psal. 103. vers. 15. Ejusque vita velut vapor evanescit, Jac. 4. v. 14. ideo hominum auxilio

auxilio nitendum minime est, Psal. 118. vers. 8. 9.

III. *Sequela.* Id indicant Evangelistæ,

1. *Respectu Judæ desperantis.* Non enim modo in peccatis suis desperat, ut Cain, Gen. 4. vers. 13. sed Diabolus eum eò perducit, ut arrepto laqueo seipsum suspendat.

Inspicite Judam:

I. *Vanitatis amatores,* qui terrenis modo inhiatis, & hoc ipso bonam conscientiam & salutem negligitis & amittitis. Quid Judas effecit? quid sibi emit triginta argenteis? Nil nisi restim, qua suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, Actor. 1. vers. 19. Sic adhuc hodie ejus similes Mammonæ servi incidunt in tentationem, & in laqueum, 1. Tim. 6. v. 9.

2. *Christi desertores,* qui à vera fide contra conscientiam deficitis. Judæ male id cessit: Ita nemo impune feret, qui à Christo ejusque verbo deficit, postquam semel illuminatus est, Hebr. 6. v. 4. Sir. 26. v. 27.

3. *Omnes auditores,* & æquo animo perpendite, quam horrendum peccatum sit, si quis sibi ipsi violentas manus inferat.

1. Enim talis Dei misericordiam abnegat, Jer. 9. v. 12.

2. A Deo se divellit, qui ipsum creavit, & sanguine Filii sui ad hæreditatem vitæ æternæ redemit.

3. Templum Spiritus sancti devastat & perdit.

4. Violat quintum præceptum, in quo *αυτοχρηστία* severe interdicta est.

5. Judicium extremum & vitam æternam non credit, ubi rationem hoc ipso de crimine reddere tenetur.

6. Sibi & toti generi suo labem malæ famæ adspersit.

7. Quodque pessimum est, dum temporalem cruciatum se effugiturum putat, præcipitat se in æternam condemnationem. Manifesta sunt opera carnis, Gal. 5. v. 21. *Vid. Part. 1. pag. 341. b.*

II. *Ex parte Cleri consultantis.* Principes enim Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Concilio autem inito concludunt, se ex illis agrum figuli emturos esse, in sepulturam peregrinorum, si summis Festis Hierosolymam accedentes, ibi morerentur, ut sic locum certum sepulturæ haberent.

Hic habemus *ideam Hypocritarum.* Pontificibus enim & Scribis religio est, argenteos hos in corbonam mittere, ex qua ante illos sumserant: Verum ut Christum occidant, nulla ipsis religio est, id est, culices colare & camelos deglutire, Matt. 23. v. 34. Sic adhuc hodie multi inveniuntur, qui in levioribus, & adiaphoris arctam habent conscientiam: Verum vino seingurgitare, scortationem committere, proximum convitiis proscindere, aliaque id generis peccata perpetrare, leviusculum arbitrantur, ideoque Væ illos feriet, quod Servator ejusmodi hypocritis annuntiavit, Matth. 23. v. 13. seqq.

Sed & hanc consolationem postremo arripiamus. Quamdiu in hoc mundo vivimus, in terra peregrinationis sumus, & peregrinamur à Domino, 2. Cor. 3. v. 6. At ubi beate morimur, cubiculum nostrum

in terra habemus. Id est, ager sanguinis, triginta argenteis, mercedis proditoriae coemptus, & sanguine Christi sanctificatus, ubi secure & tranquille quiescemus, & dormitabimus usque ad diem ultimum, & tum in caelestem Hierosolymam

introducemur, ubi Christus per abitum suum ad Patrem *πολίτευμα* nobis acquisiuit.

Eò nos omnes ex gratia transferre dignetur Deus caelestis Pater per & propter Christum, Amen.

DOMINICA JUDICA.

Textus.

Historia Passionis Dominicae.

EXORDIUM.

Hodiernam Dominicam olim vocarunt Judica, quia in Ecclesia Latina in introitu cecinerunt: Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, & c. ex Psal. 43. v. 1. Hoc ipso pii Veteres respexerunt hodiernum Evangelium, ubi Christus in acrem disceputationem descendit cum Judæis, qui non modo convitiis acerbißimis ipsum proscindunt quod Samaritanus sit, & Dæmonium habeat: Sed lapides quoquetulerunt, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

Quia igitur illud, quod Christo tanquam capiti accidit, & membra ejus experiri coguntur, in Ecclesia hac militante, non inique precamur: Judica me Deus. Auxilium enim nostrum non aliunde est, quam à Domino, qui fecit cælum & terram, Psal. 121. v. 2. & novit suos è calamitatibus eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

Nos pro Instituti ratione ex Evangelio meditamur:

1. Triplicem Querelam. Quæ respicit

1. *Veritatis odium.* Id sane Christus re ipsa comperit, ideo inquit ad Judæos: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Idem experti sunt Prophetæ, qui ante eum fuerunt: Apostoli, qui post eum egressi sunt, & Evangelium prædicarunt, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum, Dei virtutem & sapientiam, 1. Cor. 1. v. 24. Experiuntur quoque quotidie, omnes fideles verbi Præcones, ob invisam enim multis veritatem, tanquam purgamenta mundi, & peripsa fiunt, 1. Cor. 4. v. 13.

2. *Religionis dissidium.* Id statim post lapsum incepit, inter Cainum & Abelem, qui in Sacrificio discrepabant, Gen. 4. vers. 5. Deinde continuatum est ab uno seculo ad aliud,